Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38224
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Nunc ergo filii audite me. et adtendite verba oris mei; ne abstrahatur in vanitatem mentis tua neque decipiaris semitis eius. multos enim vulneratos deiecit mulier: et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

Viae inferi domus eius penetrantes interiora mortis. Numquid non sapientia clamitat et prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus super viam in medius semitis stans iuxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur dicens.

O viri ad vos clamito et vox mea ad filios hominum. Intellegite parvuli astutiam et insipientes animadvertite.

Audite quoniam de rebus magnis loqui conatus sum et aperientur labia mea ut recta cupiant. veritatem meditabitur guttur meum et labia mea detestabuntur impium.

Iusti sunt omnes sermones mei et non est in eis pravum quidem neque perversum. recti sunt intellegentibus et aequi invenientibus scientiam.

Accipite disciplinam meam et non pecuniam doctrinam magis quam aurum electum.

Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis gemmis et omnes desiderabiles res non possunt illi comparari.